



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Disp. CVI. An possit Deus præter ea, quæ fecit, aut facturus est, alia etiam
producere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

4. Præterea. Homo Christus est plenus gratia & veritate, & Spiritum habet non ad menturam. Et sic non potest esse melior. Beatitudo etiam creata dicitur esse summum bonum: & sic non potest esse melius. Beata etiam virgo Maria est super omnes chotos Angelorum exaltata: & sic non potest esse melior. Non igitur omnia, quæ fecit Deus, potest facere meliora.

Sed contra est, quod dicitur ad Eph. 3. quod *Deus* potest omnia facere abundantius, quam petimus, aut intelligimus.

Respondendo dicendum, quod bonitas alicuius rei est duplex. Vna quidem, quæ est de essentia rei: sicut esse rationale est de essentia hominis: & quantum ad hoc bonum, Deus non potest facere aliquam rem meliorem, quam ipsa sit (licet possit facere aliquam aliam ea meliorem) sicut etiam non potest facere quaternarium maiorem. Quia si esset maior, iam non esset quaternarius, sed alius numerus, sic enim se habet additio differentie substantialis in definitionibus, sicut additio unitatis in numeris, ut dicitur in 8. Metaphy. Alia bonitas est, quæ est extra essentiam rei: sicut bonum hominis est esse studiosum vel sapientem, & secundum tale bonum potest Deus res à se factas facere meliores. Simpliciter autem loquendo qualibet re à se facta potest Deus facere aliam meliorem.

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur Deum posse aliquid facere melius quam facit, si ly melius sit nomen, verum est: quamlibet enim re potest facere aliam meliorem. Eandem vero potest facere meliorem quodammodo, & quodammodo non, sicut dictum est. Si vero ly melius sit adverbium, & importet modum ex parte facientis: sic Deus non potest facere melius, quam sicut facit, quia non potest facere ex maiori sapientia & bonitate. Si autem importet modum ex parte facti, sic potest facere melius, quia potest dare rebus à se factis meliorem modum essendi quantum ad accidentalialia, licet non quantum ad essentialia.

Ad secundum dicendum, quod de ratione filij est quod æquetur Patri, cum ad perfectum venerit, non est autem de ratione creaturæ alicuius, quod sit melior quam à Deo facta est. Vnde non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod vniuersum, suppositis istis rebus, non potest esse melius propter decentissimum ordinem his rebus attributum à Deo, in quo

bonum vniuersi consistit. Quorum si vnum aliquid esset melius, corrumpetur proportio ordinis. Sicut si vna chorda plus debito intenderetur, corrumpetur cytharæ melodia. Posset tamen Deus alias res facere, vel alias addere istis rebus factis: & sic esset illud vniuersum melius.

Ad quartum dicendum, quod humanitas Christi ex hoc quod est vnita Deo & beatitudo creata, ex hoc quod est fruitio Dei, & beata virgo ex hoc quod est mater Dei, habent quandam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus: ex hac parte non potest aliquid fieri melius eis: sicut non potest aliquid melius esse Deo.

Tres colligit conclusiones Caiet. ex hoc articulo. Prima est, *Deus non potest mutare aut meliorem facere rem aliquam secundum essentiam*. Secunda est, *Deus potest eandem rem meliorem facere secundum accidentia*. Tertia est, *Deus potest facere speciem meliorem secundum essentiam qualibet alia producta in infinitum*. Hæc est vniuersa doctrina vtriusque articuli, quæ sequenti disput. examinanda est.

DISPUT. CVI.

An possit Deus præter ea, quæ fecit, aut facturum est, alia etiam producere.

Quo pacto Deus ex necessitate iustitiae operetur. cap. 1. que dicatur potentia ordinata. & que absoluta. cap. 2. Deum posse facere plura, quam fecit, fide catholica certum est. cap. 3.

Non modo infinita individua, sed etiam infinita species Deo fieri posse. cap. 4.

Anequam disputationem ipsam aggrediamur, duo præmittenda sunt, quibus status præsentis controversiæ magis elucidabitur. Vnum est quo pacto dei potentia sit alligata iustitiæ, ut nihil possit agere, quod non sit iustum, ac promittit Deus necessitate ex iustitia operetur, id quod in præsentia cap. explicabitur. Alterum est, quæ sit potentia ordinata, & absoluta, de quo sequenti capite dicemus. Modum autem, quo Dei potentia iustitiæ, suæ est alligata recte explicant S. Thom. in 1. d. 43. q. 5. Gab. q. 1. a. 4. Distingunt enim duplicem necessitatem iustitiæ in operando, alteram, quæ vocari solet quoad specificationem; alteram, quæ dicitur quoad exercitium. Prior necessitas in eo posita est, ut Deus nihil possit facere, quod non sit iustum. Si ergo de hac necessitate sermo sit, adhuc de iustitia possumus bifariam loqui, primum, ut includit debitum, & hoc pacto non incumbit semper Deo necessitas quoad specificationem, non faciendi, nisi quod iustum est. Nam licet aliqua faciat ex debito, quia verbo suo promittit, tamen facit absque ulla obligatione. Deinde loqui possumus de iustitia, quatenus solum est convenientia, & decencia diuinæ bonitatis, & illud est iustum quod factum decet, & conuenit bonitati ipsius.

*Lib. 8. Met.
sec. 10. 10. 3.*

In corp. art.

ipsius Dei. Atque hoc pacto Deus necessario quoad specificationem operatur, quia nihil producere potest, quod non debeat suam bonitatem. Altera necessitas iustitiae est quoad exercitium, quia scilicet ita operatur aliquis, ut non operari non possit. Nulla autem necessitate iustitiae hoc modo operatur deus, si iustitia sumatur solum pro concordantia, ut supra explicatum est: quia potest deus multa non producere, quae si producerentur, decerent diuinam bonitatem. Si vero iustitia dicatur debitum, quo deus teneatur aliquid facere, quandoque operatur ex iustitia necessario quoad exercitium, quia aliquid promissit, & iuxta promissionem ita debet facere.

Obseruandum tamen est, praedictos doctores non admittere huiusmodi debitum in deo, quo ipse dicatur alteri quidquam debere, etiam si illi promissit, sed quo sibi tantum debitor dicatur. Ego tamen existimo, deum verbo suo non solum constitui sibi, sed etiam alteri debitorem, ut 1. 2. q. 1. 4. art. 3. latius ostendam, ubi etiam explicabo mentem S. Th. Ad iungunt vero praedicti doctores, excepto purando, veram esse hanc propositionem, *Deus potest facere aliquid, quod non est iustum*, si illud iustum referatur ad tempus praesens: nunc enim multa non sunt actus iusti, quia non sunt à deo ordinata, quae tamen fieri possunt ab eo. Si vero iustum non referatur ad tempus praesens, dicendum est, nihil fieri posse à deo, quod non sit iustum, hoc est, quod si faceret, non esset iustum.

CAPVT II.

Quae dicatur potentia ordinata, & quae absoluta.

Alterum notandum pro explicatione status huius questionis est, quid nomine potentiae absoluta, & ordinatae intelligere debeamus. Cum enim quærimus, an possit deus aliqua facere, quae non facit, si sit sermo de potentia ordinata, aliter respondendum est, quam de potentia absoluta. Scholastici autem vane hos terminos interpretantur.

S. Th. in hoc art. ad 1. & 3. con. gen. c. 98. vocat potentiam Dei ordinatam, quatenus exequitur iuste voluntatis imperium, & eo determinatur: at absolutam appellat, quae ei conuenit secundum se, nec voluntatis imperio determinatur, & ideo absoluta dicitur, quia à voluntatis determinatione soluta est. Quare potentia ordinata deus dicitur facere posse, quae supposito decreto voluntatis suae tantum facere potest absoluta vero, quae potentia sua secundum se non alligata decreto facere possit. Quocirca si aliquem decedentem in peccato mortali deus decreuisset ex inferno erueri, & in regnum colorum transferre, diceretur, illud potuisse facere non solum potentia absoluta, sed etiam ordinata, quia faceret potentia determinata decreto voluntatis suae.

Sed scatur in 1. dist. 44. q. 1. cui consentit Maior in 1. dist. 43. q. 1. in principio utramque potentiam aliter intelligit: asserit enim ordinatam potentiam, & absolutam referri ad legem latam ab ipso deo, ita, ut ordinata sit, quae per legem determinata est, & alligata: absoluta vero quae non sequitur legem, sed ab ea soluta est. Quare si deus decreuisset aliquem nunc ex inferno liberare, diceretur in sententia Scoti facere illud secundum potentiam abso-

CAPVT II. & III.

703

lutam à lege sua communi, non secundum ordinatam; cum tamen in opinione doctoris sancti opposito modo esset dicendum: quia iuxta illum diceretur facere potentia ordinata, hoc est, determinata per decretum, & imperium voluntatis suae.

Ego vero existimo cum distinctione loquendum esse: nam ubi lex à deo promulgata esset, qualis est illa, decedens in peccato mortali perpetua poena puniendus esset; potentia ordinata diceretur illa, quae per legem illam, & iuxta illam determinata esset: absoluta vero, quae illi non est alligata, sed praeter, aut contra illam operatur. In his vero rebus, circa quas deus nullam legem hominibus promulgauit, ordinata potentia erit illa, quae decreto voluntatis Dei determinata est: at vero absoluta, quae ex se consideratur non alligata, nec directa definitione, & decreto ipsius. Quocirca, si deus nunc liberaret ludam de penis inferni, quia ita decreuisset, diceretur facere potentia absoluta priori modo, hoc est, absoluta à lege, quam contra damnatos in vniuersum promulgauit: quo etiam modo dicitur praeseruasse virginem à peccato originali, quia praeter legem communiter latam id fecit. Si vero nunc nouam stellam crearet, vel circa cursum colorum aliquid praeter communem ordinem, quae hactenus coeli seruauerunt, faceret; ea diceretur facere potentia ordinata, non absoluta; ordinata inquam, hoc est, determinata per imperium voluntatis suae & ita utraque opinio ex parte locum habere potest.

Ceterum obseruandum est potentiam, quam diximus ordinatam, non esse dicendum ordinariam, ut recentiores communiter vocant. Tum quia antiqui Theologi ordinatam solum appellauerunt; tum quia licet ea quae deus communiter facit, dicatur ordinariae facere, non tamen dicitur posse ordinarie, neque eius potentia ordinaria nuncupatur. His igitur suppositis, questio proposita intelligenda est de potentia absoluta utroque modo, an scilicet possit deus facere aliqua, quae non fecit, seclusa lege, & decreto voluntatis suae.

CAPVT III.

Deum posse facere plura, quam facit, fide Catholica certum est.

Error fuit Petri Abailardi ut refert Waldensis Error Abailardi. 1. lib. 1. art. 1. c. 10. quem postea sequutus fuit Ioannes Wicleff. sicut idem auctor testatur, non posse deum aliquid facere praeter ea, quae fecit, aut facturus est, ita Waldensis ait. Bern. retulisse hunc errorem in textu verborum Abailardi c. 3. Allegat etiam Bern. ep. 190. ubi Bern. inter errores Abailardi recēset, quod patri omnipotentia, filio semipotentia, spiritui sancto nulli potentia dederit. Ex quo sane quo pacto hic error colligatur, ego non video. Eiusdem erroris suppresso nomine auctoris mentionem faciunt Hugo de S. Vict. lib. 1. de Sacram. p. 1. c. 6. & Magister in 1. d. 43. quem Waldensis eo. c. 3. & sequentibus multis patrum testimonijs cofutatur. Legatur Aug. epist. 3. & lib. de spiritu, & lib. c. 1. & lib. 9. de Gen. ad literam c. 29. & lib. 4. c. 4. Refellitur etiam testimonio illo Matthaei 26. An non possum rogare patrem, & c. & d. debet mihi modo plusquam 12 legiones Angelorum? & Marci. 14. Abba pater omnipotens posuisti, & c. transfer calicem hunc à me. Denique hic error cum reliquis eiusdem Abailardi damnatus est in Concilio Senonensi, ubi Abailardus respicit, & ad maiorem frugem conuerius, cum monachis N n n 4 quibus-

Utraque cum distinctione approbatur.

Bernard.

Hugo.

Magist.

Aug.

Auctoritate

reueit

prim.

Matth. 26

6

Marci. 14.

Conci. Sen.

Secunda ratio.

Origo erroris Wicleff.

7.
August.

quibuscumque religiosam vitam egit. Ratione quoque manifestum est, posse Deum facere multa alia, quæ non facit: si enim quilibet hominum potest multa facere, quæ non facit, multo magis Deus. Cæterum hic error in Wicleffo ex alio errore nascitur: cum enim diceret Deum necessitate absoluta, & nulla libertate operari, ut retulimus disput. 68. capit. 1. cogebatur asserere, Deum ea solum posse facere, quæ facit, & facturus est: idemque de homine consequenter sentire debebat, siquidem ei quoque libertatem operandi negabat.

Verum enim vero non solum certum est, Deum posse facere multa alia, quæ non facit, nec facturus est, sed etiam infinita, quæ omnia optime novit, ut disp. 63. cap. 2. contra eundem Wicleffum, quosdam Philosophos, quorum meminit Aug. 12. de civit. c. 18. notavimus. Dicebant illi Deum solum nosse, & posse facere finita, per infinita tamen secula semper operatum fuisse, non quidem semper nova producendo, sed eadem iterando; quem artem late confutat Aug. ibid. cæterum inter Scholasticos controuersia est, an hæc infinita rerum multitudo, quam Deus producere potest, sit tantum individuum, an etiam specierum, de qua sequenti cap. disseremus.

CAPVT IV.

Non modo infinita individua, sed etiam infinitas species à Deo fieri posse.

Opinio Aureoli Capreoli.

DE multitudine specierum, quam Deus potest producere Scholastici nostri varie sentiunt. Aureolus, ut refert Capreolus in 1. d. 43. quæst. unica art. 2. in argumentis contra 6. inclus. variis modis suadere conatur, infinitam specierum multitudinem à Deo produci non posse, non defectu potentie, sed quia species possibiles infinite non sunt: intelligit autem, non solum simul produci non posse, sed neque successive, ita ut inter possibiles ultima sit, quæ producta, alia creari nequeat. In eadem sententia est Durand. in 1. d. 44. quæst. 2.

Refert etiam Caiet. in hoc artic. pro eadem opinione Scotus in 3. d. 13. c. 1. cum asserit, gratiam creatam in anima non posse augeri, & perfici in infinitum. Nam ratio quæ id probat Scotus. Inadet etiam, non posse dari speciem aliquam perfectiorem quacunque in infinitum: est autem huiusmodi. Si dari posset gratia maior quacunque sine fine, sequeretur, totam latitudinem augmenti gratiæ esse infinitam, ac proinde esse aliquam gratiam, quæ ab infima gratia infinite distaret: illa ergo esset quia infinite aliam excederet: gratia autem infinita esse non potest: ergo neque augmentum illius in infinitum procedere. Eadem vero ratione probari videtur, quacunque specie assignata: non posse aliam perfectiorem secundum essentiam creari: si enim produci posset, sequeretur, totam latitudinem specierum esse infinitam, & aliquam earum infinite distare secundum essentiam ab infima specie, ac proinde esse infinitam, quia infimam speciem infinite excederet, quod est absurdum: infinitas enim secundum esse gratiam soli Deo convenire potest. Huc etiam spectare videntur præcipue rationes Aureoli, & ea, quam asserit Durandus: quare illis omnibus superaddere mihi visum est.

S. Thomæ opinio vera Caietani.

Ego vero existimo, veriores esse sententias S. Tho. & Caiet. in hoc artic. qui docent, quacunque

specie assignata, posse dare in infinitum aliam, & aliam perfectiorem. Verum hæc opinio non debet censeri ita certa, ut opposita aliqua nota digna iudicetur, sicut falso recentiores aliqui putant, quorum ratio ad id probandum firma non est: nempe quia si non essent species infinite possibiles, non diceretur Deus omnipotens: ita enim, nulla ratione consequitur: nam Deus non dicitur omnipotens, quia possit producere infinitas species, sed quia possit omnia quæ non implent contradictionem. Quod si non essent possibiles nisi finite species, solum finite non implerent contradictionem; & illa omnes, & sola posset à Deo produci, & nihilominus vere omnipotens diceretur.

Omissis vero aliis rationibus, quas pro hac sententia asserit Durandus, & dissolvit, hæc præcipue probari solet. Quævis creatura est imitatio quædam & participatio diuinæ perfectionis: sed nulla potest perfectissimo modo Deum imitari ergo dari potest alia, & alia, quæ perfectiori semper modo Deum imitetur. Nam si pictura aliqua non assimiletur prototypo perfectissimo modo, potest dari alia, quæ perfectiori modo ei assimiletur. Sed respondere quis posset, hæc rationes solum probant, assimilationem, & imitationem secundum unitatem formæ & naturæ crescere posse in infinitum, si id quod imitandum proponitur, infinite perfectum est. Ex quo sic ut imago picta quæ imitatur prototypum in figura, & coloribus crescere possit, quousque æquet perfectionem illius. Quare si species rerum creaturarum sic Deum imitentur, sine dubio quacunque data produci posset alia, quæ perfectius Deo assimilaretur: quia semper aliquid imitandum superesset. At vero quia Deo non assimilantur secundum unitatem formæ, & virtutis, sed in forma longe diuersæ rationis, quam ab eo participant, adeo non sequitur, posse imitationem creaturæ crescere in infinitum per infinitas species.

Secunda ratio: si non essent species possibiles infinite, non esset potentia Dei infinita in genere potentie: sed est infinita, ut articulo 1. probatum est: ergo & species sunt infinite. Verum cum aliunde probari possit infinita potentia Dei in genere potentie ut disp. 103. cap. 2. notavimus hæc ratio non probat sufficienter, esse infinitas species possibiles.

Tertia denique ratio sit huiusmodi. Non implicat contradictionem infinitas esse rerum species possibiles: ergo non est negandum, eas fieri posse. Id vero non implicare contradictionem, inductione constatat rationes enim, quæ pro opposita parte adduci solent, facile diluuntur. Nam si aliquam vim haberet, ea præsertim esset, quam pro sententia Durandi in principio attulimus. Ad illam vero respondeo, etiam si species possibiles sint infinite versus partem superiorem, non sunt qui villo modo, esse supremam, quæ distet infinite ab infima. Sicut etiam non sequitur, esse supremam gratiam, quæ distet infinite ab infima, vel ab aliqua inferiori gratia: quia nec in eo casu daretur perfectissima gratia, nec perfectissima species, quod non esset ultima. Hæc enim duo manifeste secum pugnant, & procedere infinitum in speciebus, aut gratis, & dari supremam, aliud aliquam speciem, quæ infinite distet ab alia; siquidem quacunque assignata, datur alia superior. Hoc autem